

ne, in solatione, vel infusione parata, in vitreis similiter aut stanneis thecis reponi postulant, prout ea quæ destillata sunt in vitris angustiorificij, quæ arcu obligari & ab effluvio ac expiratione promptè custodiri queunt, in annos asseruantur. Pilula porrò vix aliter, quàm Cerata & Emplastra vesicæ aut chartæ, quæ liquatam ceram imbibent, obuoluntur, atq; sic arcibus vel pyxidibus siccis conclusæ tenentur.



CAPVT QVINTVM.

De Medicamentorum quorumlibet duratione.

CVM sua sit cuiq; medicamento atas, vñq; alio citius, & adolescat & exolescat, idè certum ac definitum durationis medicamentorum tempus statui non potest, sed sunt ea pro cuiusq; temperaturâ ac conditione moderanda: nonnulla enim quorum odor ac vis facile euanesceat, dimidio vix anno durant,

C s prout

prout sunt flores qui quò recentiores fuerint, eò rectius in Medicum usum cooptantur: alia etatem adepta perfectionem suscipiunt, cuiusmodi esse creditur Euphorbium, ut quod recens nimis furiat, eius enim acrimonia tempore mitescit ac frangitur: quedam solidam substantiam & probam omnino qualitatum temperiem nacta, longâ die persistunt integra, quod de Cypero, Aristolochiâ, Rusco, Centaurio maiore, Veratro, Chamaleonte nigro, ac Elaterio Teophrastus & alij referunt. Communiter tamen herbas, flores, ac semina praesertim frigida minora, itemq; radices teneriores quotannis mutari conuenit, semina tamen calida, acria, aromatica, nec non radices crassiores aut dense per duos tresue annos saluis viribus perdurare possunt, prout & fructus quidam exotici duriori cortice aut crustâ conuestiti, ut Myrobalani, Nux Indica, Nux vomica, &c. Syrupi simplices, Mella & Robus singulis annis commutantur, Compositi verò Syrupi, praesertim autem aromatici ad biennium valere creduntur. Conserua & Lohoch maximè quæ Amygdalas, Pineas, & semina frigida

frigida rancedini opportuna in sui constitutionem admittunt, vix ultra annum durant; Conditæ verò pleræq; præcipuè autem cortices, duos, tres, ac plures annos sine facultatis violatione persistere possunt. Aqua destillata exoptantur in singulos annos recentes, excepta aqua Stapediana, & aquis ac Elixirijs vitæ, aut alijs aromaticis liquoribus, quorum aliqui vetustate perfectiores evadunt. Trochisci, exceptis ijs qui semina frigida facile rancescentia recipiunt, Sief, & Pilulæ duriori compagine concinnatæ cum sint, ac ob vim quoq; Aloës corruptelæ obstantem ad duos, aut tres annos pertingunt, præsertim verò, quæ Opiū recipiunt nam & Opiatæ Compositiones pleræq; usq; ad Sexennium, imò ad decennium, Theriaca verò ac Mithridatium usq; ad triginta annos in sua bonitate persistunt, Unguentis, Creatis ac Emplastris vix ad sesquiannum durantibus. Inter Olea Sesaminum & Amygdalinum, aut ex Nucibus Pineis confectū, intus præsertim sumenda si fuerint, vix ultra mensem sine rancoris nota servantur, frigida verò Olea anni unius decursum obeunt,

obscunt, calidiora autem & aromatica olea
 duos, tres, vel plures etiam annos vires suas
 retinent, præsertim destillata, inter quæ
 Oleum Philosophorum seu de lateribus, ætatis
 prouectione maiores vires acquirit. Electua-
 ria lenitiua intra annum ferè imbecilliora
 euadunt, cum solutiunorum virtus ad sesqui-
 ennium perduret. Hiera autem & amara
 Electuaria ad duos annos pertingunt. Species
 Aromatica singulis annis, vel sesquiennali pe-
 riodo renouari postulant. Animalia verò eo-
 rum semque partes, quamdiu incor-
 ruptæ seruantur, vegetas vires
 obtinere credun-
 tur.

CAPVT